

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

FACULTÉ DE MÉDECINE DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, die Jovis decimâ-nonâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXI.

M. PETRO CHEVALIER, Doctore Medico, Præside.

An Phthisi Pulmonari idiopathicæ præcavendæ, parca sed frequens sanguinis missio?

I.



VIX in lucem editos mortales sæva morborum ingruit caterva. Unaquæque regio vel ætas sibi peculiares agnoscit; hæc acutos, chronicos illa. Ast efferas inter quibusdam in urbibus sævientes chronicas ægritudines, non minimam tenent certè sedem varii pulmonum affectus & infarctus, qui seriùs ociùsve phthisim pulmonarem producunt, sicque incolarum tertiam fermè partem ad orci fauces immaniter trudunt, dùm tertiæ alterius partis, licet aliis pereat morbis, pulmones etiam affecti plùs minùsve reperiuntur, ut cadaverum quotidianâ sectione constat. Nullum huic fato remedium, nisi ab incunabulis, ut ità dicam, malum coerceat præpediatque vir verè medicus. Primigeniam horum-ce affectuum causam delere, jàm penès medicum non est: mores enim, omninò à naturâ declivem agendi normam, vitam libidinosam otiosamque radicitùs emendare, immutare necesse foret. Ad artis ïatricæ salutifera præsidia confugiendum igitur. Quid indè sperandum adhuc, cùm hucusquè innumera medicorum tentamina successus vel minimos obtinuerint? Undè hujus mali labes? Nùm ab ignotis morbi naturâ, illiusque causis tum proximis tum remotis; nùm à defectu cujuscumque medicamenti, quod illum quasi penitùs eradicare valeat, vel potiùs prudentis ratiocinii, quo morbi causas remediorumque effectus rectè compararent medici? Quod postremum verius nobis videtur, & omnibus etiam facillimè patescet, cùm se-

quentibus dilucidè demonstraturi simus sanguinis missione parcâ sed frequèns institutâ, phthisim pulmonarem idiopathicam scilicet, cùm à principiis veræ aut relativæ plethoræ ansam præbeat pulmonum mollior rigidiorve compages, potissimùm præcaveri posse, sicque sanari; sanat enim perfectiùs & tutiùs, qui recto mentis judicio, ingentique artis theoriâ morbos præcavet.

II.

NON à primo insultu ægros afficit status iste morbosus, quem apud auctores tabis pulmonaris sub nomine descriptum reperimus. Nil enim aliud est status ille, nisi suppuratio pulmonum occulta, ut in tuberculis quibusdam, aut externa & excreatione sensibilis, ut in ulceribus quæ hæmoptysim, vomicam & alia id genus vulgò sequuntur, *ità ut totus indè corporis consumatur habitus* (*a*). Multæ antehàc præcesserunt pulmonum læsiones longè inter se dissimiles, partium humorumve peccantium respectu, ceu quod idem est, uniuscujusque individui idiosyncrasiâ; quæ omnes phthisim ceu tabem ut ultimum gradum agnoscunt, nisi signorum illarum diagnosticorum notione adeptâ, vitia ut decet, à primis diebus ipsis emendare conetur medicus. Harum præcipua pulmonis est à primo ortu vitiosa constitutio, *quando hujus visceris substantia vitio seminis parentum mollis est*, sic loqui amant veteres, *& ad corruptionem propensa, ut sensim ætatis decursu flaccescat & spontè corrumpatur* (*b*). Licet partim vera talis definitio, quid obscuriùs precor? Quænam exindè certa indicatio sumenda? Quid mirum, si posthinc talis constitutionis fata coercere non potuerunt? Sequentem ergò lubenter proponimus definitionem, connatam scilicet, ceu hæreditariam pulmonum vitiosam constitutionem, strictioremve pectoris capacitatem, ità ut posteà, de die in diem crescente, vigente corpore, non verò respectu eodem, nec æqualiter vigescente pulmone, circuitus sanguinis & hæmatosis in isto difficilè perficiantur, undè pro re natâ, humorumve crasi, modò hæmoptysis, obstructio modò vel sanguinea brevi in tuberculosam immutatura, vel lymphatica suas tragœdias edunt. Aliquotiès tamen casu quasi fortuito & de repentè vomica vel hæmoptoë accidunt, sed rarò pulmonari tabe excipiuntur, si pro legibus artis curentur subitò, & aliundè benè constitutus sit pulmo. Idem dicendum de hujus visceris affectibus, qui menstruis è suppressis, aut aliâ quâlibet evacuatione inordinatè cohibitâ emergere consueverunt, ut & à vitio quodam scorbutico, vel venereo aut scrophuloso.

(*a*) *Boerhaa.* … cogn. morb. … ph. 1196.

(*b*) *Sennert.* … ract. M. d. L. II. … II. c. 12. *Heurn.* de mor. … ct. c. 7.

III.

AUCTORES etiam perillustrissimi, qui, suis in operibus, quid de istâ pulmonum vitiosâ constitutione leviter tantùm annotant, eam cognitu à principio difficillimam esse, indèque non præcaveri posse contendunt. Ast illis assentire nullo modo possumus: signa enim diagnostica medico attendenti sese offerunt, licet nondùm apparuerint hæmoptysis, aliave incommoda cujusvis tuberculorum speciei certa indicia. Horum quædam ab ipso Hippocrate promulgata repetamus. *Quibus thorax est angustus, spatulæ eminentes alarum modo, caput fluxionibus obnoxium, horum ad tabem natura vergit* (*a*). His & alia subjungamus. Modò debilis & laxa fibrarum compages; modò rigida & tenuis. Crassa humorum viscidaque diathesis, ceu quodam acri stimulo sæpissimè torquens. Hæc generalia. Nunc peculiaria recenseamus. Quidam diù velociterque, si juvenes præsertim spectemus, alloqui nequeunt, quin rubeant genæ, tussiant, guttulæ etiam sanguinis cum sputis striatim misceantur. Minimo de cursu vel cantu vix spiritum trahunt alii. Citò post epulas etiàm parcas his vivido rosaceoque colore afficitur vultus, ob minorem septi transversi complanationem aucto ventriculi volumine, undè minùs distensis pulmonibus sanguis venosus superiora versùs refluere vel saltem coacervari debet. Minimi frigoris ad sensum, sæpè capillaribus in strictis viscidi cruoris pars gelatinosa cohibetur, hinc tussis sicca & frequens à vano pulmonum conatu, mediante diaphragmate, ut ab urgente intùs pondere liberentur. Quis nunc è tali

(*a*) Is est sensus divi Senis lib. epid. 1. §. 1. III. §. 3. VI. §. 1. Aph. 2. §. 3. Aph. 9. & 14. Ità proponunt suis in interpretationibus *Fæsius*, *Vallesius*, perdoctusque *Duretus* suâ in enarrat. in coac. *Hipp.* c. 17. de phthisi. Aph. 7. ceu 438. edit. *Fæsii.*

ſymptomatum concurſu iſtam pulmonum conſtitutionem non ſubodorabit, ut & indicationes quæ ſeſe offerunt adimplendæ ? Ex his præcipuam colligimus, plethoram nempè, quæ ſæpè ſæpiùs relativa eſt, nedùm vera & univerſalis, citò imminuendam eſſe, ut ab ægris hæmoptyſis, ſi rigidæ & tenues pulmonum fibræ, acriſve humorum craſis, vel tubercula arceantur interna, ſi debilis & laxa viſceris textura, de die in diem magis ac magis ſtagnante & ſpiſſeſcente gelatinosâ ſanguinis parte, ob peſſimam omnium partium conquaſſationem, illarumve connubium debile, chylique de novo appulſi inchoatam tantùm immutationem.

A primis fermè Medicinæ temporibus cognovit ïatrica gens, quâ celeriori tutiorique viâ, venæ ſcilicet ſectione, nimiam ſanguinis quantitatem relativam veramve pro caſu delibare in promptu erat. Defuit ergò apud antiquos hujus morbi vera ætiologia, quâ indicationes ex cauſis & ſignis ritè deſumptas prudenti conſilio ſequi conarentur & abſolvere, cùm non defuerit remedium. Nos verò cùm illorum errorem agnoverimus, ab iſto tramite declinantes & momentis noſtris ducti, parcam ſed frequentem phlebotomiam ut remedium primarium commendamus.

I V.

PORRO hujuſce remedii ope quantitatem ſanguinis ad pulmones advecti tanquàm ab ortu imminuimus; ità ut, ſi copiâ, ratione vel rigiditatis & tenuitatis fibrarum pulmonis, dilaceratio deinque hæmoptyſis, vel debilitatis & laxitatis, infarctus immineant, citò tutòque præcaveantur. Datâ enim primâ diſpoſitione, ſanguinei laticis quantitate ad minimum auctâ, facilè diſrumpuntur vaſa : poſitâ verò ſecundâ variis in anfractibus hujuſce partis vaſorum ſtagnat pars ſanguinis viſcidior, creſceretque de die in diem infarctus, niſi per vaſa lateralia circuitus redderetur expeditior. Hinc ratiocinio ſuffulta noſtra opinio, Clariſſimorum Medicorum praxi plus minùſve comprobatur. *Ut hæmoptyſis reditus præpediatur, quibuſlibet ſex menſibus per aliquot annos ſanguinem mittendum* volunt Hollerius & Boerhaavius (*a*). *Sanguinis miſſio per venam ſectam ad phthiſim præcavendam utiliſſima eſt;* ſic *Hoffmannus* (*b*). Quin imò nobis adhuc multò magis aſſentire videntur Auctores alii, cùm de ſanguinis quantitate unaquâque vice mittendâ quid conjecerint. *Ut fluxus imminens comprimatur*, ait Mercurialis, *convenit etiam miſſiò ſanguinis, quæ facienda eſt* CREBRÒ, *ſed* IN PAUCA QUANTITATE (*c*). *In eroſione, priuſquam ſanguinem expuant, ad diverſionem* ANGUSTO FORAMINE *venam ſecandam*, vult Hollerius (*d*). Quorumdam etiam Salub. Facult. Pariſienſ. Medicorum praxi noſtrum præceptum pluriès felici ſucceſſu illuſtratum fuit, dummodò illorum conſilia adamuſſim ſecuti fuerint ægri. Nonne analogiâ ducti catamænia ob ſuppreſſa tabem imminentem ſanguinis miſſione præcaveri voluerunt practici. Indè tamen non concludatur aliorum remediorum uſum à nobis omninò damnari. Nam è contrà. Cùm enim duplici modo præcipuum remedium ſit venæ ſectio, tùm primariò & perſe, ſic depletis vaſis levatoque viſcere, tùm ſecundariò, quod hâc præmiſsâ multò certiùs optatos effectus varia obtinuerint remedia, à quorum uſu plethoræ augmentum jàm non erit pertimeſcendum; pro re natâ, hâc noſtrâ methodo, ſanguine ut decet detracto, ſerum lactis vel lacticinia, & alia demulcentia, commendabimus, ſi præſertim rigidam & tenuem fibrarum compagem, acremve humorum craſim immutandam habeat Medicus. Si verò ſanguinis gelatinoſæ partis infarctus jàm incipiens ſeſe offerat diſcutiendus, varia aperientia & tonica non deſpiciat. Hæc inter, modò ritè ſint adhibita, pro vario ægrorum & medici commodo, helenii radices, rutam murariam, veronicam, calaminthام humiliorem, marrubium album, camphoratam commendamus, dein Calcis aquam lacte commixtam, Cauterienſes aquas, ſulphuris hepar, balſamicas Mortonii pillulas, aliave id genus. Non etiam minimi pretii eſt prudens equitatio, vel rhædæ ſalutaris uſus.

(*a*) *Holler.* op. pract. L. I. c. 27. *Boerh.* de cogn. morb. Aph. 1201.

(*b*) §. 3. caut. monit. pract. de tabe, p. 4. tom. 4. Med. rat. c. 11.

(*c*) Pract. Med. L. II. cap. 3.

(*d*) De morb. intern. L. I. c. 27.

V.

AST, inquiunt quidam, ne felicem à tali therapeiâ successum expectes. Nedùm enim ad firmiorem statum vegetioremque sic paulatim pulmones revocentur, mox collapsu quasi generali totum extenuabitur organicum systema, majoraque ingruent mala. Sed longè aliter res se habebunt. Parcitatis enim ope collapsus omnis vitabitur, plethora solum imminuetur, celeriorque sanguinis circuitus evadet, sic restituto solida inter & fluida potiori æquilibrio. Quis enim inter Medicos ignorat, effectus inter se toto cœlo discrepantes à medicamento eodem obtineri, prout hoc vel illo administratur modo, variisque in circumstantiis?

Quamvis etiam aliis in obstructionibus vitanda sit plerumque sanguinis missio, illam in pulmonum infarctu imminente commendamus, ut sic non solùm mali radices altiùs non inhæreant, sed etiam obstructio remediorum concursu discutiatur. Alioquin frustrà exhiberentur, cùm malum per se in dies crescens illorum vim omninò cohiberet aut eluderet. Obstructione enim quorumdam pulmonis vasorum, ob debilitatem & laxitatem fibrarum, incipiente, sanguinis pars quædam usitata per loca meare nequit, refluit, & dein ad collateralia vergit. Quid indè? Nimis distensis partibus istis collateralibus, nova subindè stagnat sanguinis pars, & hæc causa eas vires acquirit eundo, ut remedia vix sufficiant, ut hesterna destruere possint impedimenta, cum quotidiè recrudescant, nedùm antiqua deleant.

Ne etiam ex prælibatis concludant adversarii, à primo insultu tussis cujuscumque nostram therapeïam adhibendam esse; illos monitos volumus stomachales reperiri tusses è vitiosâ primarum viarum saburrâ ad pulmones delabente subortas, quæ certiùs vomitoriis & purgantibus incidentibus curantur (*a*). Quod non aberrat ab isto *Sennerti* præcepto; *Quia pituita crassa, & ipsa puri similis est, imò catarrhi interdum in pectus delapsi, præsertim in juvenibus, deducuntur ad quamdam consistentiam puri similem, undè ob putredinem fiunt febres & corporis macies sequitur, phthisis tamen reverà non est, affectus hic à verâ phthisi discernendus est* (*b*). Quæ omnia ritè enucleata nostram stabiliunt conclusionem.

(*a*) *Allen.* Synop. Med. c. 4. N°. 15. *Hoff.* p. 4. tom. 4. Med. rat. pag. 307.

(*b*) *Sennert.* Pract. Med. L. II. P. II. c. 17.

Ergò Phthisi pulmonari idiopathicæ præcavendæ, parca sed frequens sanguinis missio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Descemet.	*M. Cleriadus Vachier.*	*M. Petrus Bercher, Celsissimæ Principis Parmæ & Placentiæ Ducissæ, dùm viveret Archiater.*
M. Joannes-Baptista-Franciscus de la Riviere.	*M. Petrus-Josephus Morisot Deslandes.*	*M. Theodorus Baron, Censor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Socius.*
M. Guido Danié des Patureaux.	*M. Joannes-Ludovicus-Maria Solier.*	*M. Andreas Cantwel, utriusque Pharmaciæ Professor & Regiæ Societatis Londinensis Socius.*

Proponebat Parisiis COSMA-AUGUSTINUS LÉZURIER, Rothomagæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1761, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1761.